

## 66. SEGUIERIA.

*Frutex* orgyæ & sesquiorgyæ altitudine, valde ramosus, teres, glaber; petiolis teretibus, supra planiusculis, brevissimis.

*Flores* in racemis digitalibus, simplices vel basi ramosi, alterni, pedicellati, albi, bracteolis nullis.

**CAL.** *Perianthium* pentaphyllum, patens; *foliis* oblongis, concavis, coloratis, persistentibus.

**COR.** nulla, nisi calycem velis.

**STAM.** *Filamenta* plura viginti, capillaria, undique patentia, calycis longitudine. *Antheræ* oblongæ, planiusculæ.

**PIST.** *Germen* oblongum, compressum, superne membranaceum, latere altero crassiore. *Stylus* ad latus crassius. *Germinis*, brevissimus. *Stigma* simplex.

**PER.** *Capsula* oblonga, ala maxima aucta, latere altero rectiore crassior, basi lateraliter utrinque notata alulis tribus membranaceis; unilocularis, non dehiscens.

**SEM.** unicum, oblongum, glabrum.

De *Stylo* & *Stigmate* certissima dicere nequeo, unicum enim florem tantummodo vidi, fructus vero observavi plurimos.

*Habitat* in sylvis depressis umbrosis humilibus juxta Arb. Draconis.

## TRIGYNIA.

67. PORTULACA foliis lanceolatis, convexis; pedunculis unifloris Spec. Plant. 446. 4 Halimum Læff.

*Radix* filiformis, perennis.

*Caules* plures, undique diffusi, repentes, teretes, articulati, glabri.

*Folia* opposita, lanceolata vel linearilanceolata, supra planiuscula, infra convexa, succulenta; pedicellis brevissimis vix ullis; axillis nudis nec pilosis.

*Flores*